1637.

Quæstiones pro Baccalaureatu in Iure Civili comitijs habita &c. Feb. 3. 1637.

Capite damnati Teſtamentum facere non poſſunt. l. Siquis filio. §. Sed & ſiquis. ff. de injuſt. rupt. & irr. fact. teſt.

SCire cupis, ſolus cur dat *damnatus* amicis
Sinceros fletus ingenuóſque ſuis;
Cur nulla hæredis riſum nigra veſtis obumbrat,
Nec ſolita ad tumulum pompa doloris adeſt;
Nec ſe ſoletur cognatio mœſta placentis;
Vina nec accenſis intepuere rogis;
Carmina nec feretrum oſtentat, dum funere in ipſo
Neſcio quo ſolito jure poëta canit?
Dicam. *Damnatus capite* eſt. Vin' planiùs? audi;
Jus Teſtamenti non habet ille ſui.
Hinc illi fletus, hinc eſt dolor ille meracus,
Quando Hæres luctum lugeat ipſe ſuum;
Quando, ſi nihil eſt, atratam denique veſtem
Plùs dolet amiſſam, quàm dolet ille virum.
Non eſt nimirum *Damnatus* mortuus ægris
Cognatis: Regi eſt mortuus ille ſuo.
Quid? violata mori quem lex damnaverit æqua,
Ille ſui nullâ parte ſuperſtes erit.
At ſiquis moritur, ſed non moriatur ademptis
Divitiis, Hominis pars quota vivit adhuc?
Integra adhuc vivit (ſed & hæc vita altera) Fama:
Nummus, qui vitæ eſt maxima cauſa, manet.

ERGO

Nil niſi continuum per poſthuma ſecla pudorem
Hæredi ſcribit *Littera longa* ſuo.

Uxores ex Maritorum perſonis nobilitatem ſortiuntur. l. ult. Cod. de incol.

OStatuis, mulier, quas jactas, ſtultior ipſis,
Quarum nil, fucum ſi modò demis, habes!
Quid genere, & proavis, & inani nomine turges?
Vir tibi jam pater eſt; Vir tibi ſolus, avus.
Non Jove *Fratre* Dea eſt Juno, ſed *Conjuge* facta:
Inceſtu tantùm nobilitata ſuo.
Præteritum longè repetat tibi ſtemma Maritus:
Tu, bona, tu curam poſteritatis habe.
Namq; oculos olim retro quæ verterat, uxor
Eſt ſtatua (at ſero tunc ſale) facta ſua.
Linque domi patrem, tectis egreſſa paternis;
Et, Tritavi, dicas nupta, valete mei.
Nobilitas nam ſola viri eſt atque unica *Virtus*;
Sed *Vir* nobilitas conjugis ipſe ſuæ.
Quæ ſi præſtaret (procul omen abeſto) Marito,
Quàm ſic conjugii Vincula vera forent!
Audiret quoties deductum ab origine ſtemma!
Præſtò eſſet totum (nomina magna) genus:
Invideat donec ſurdis, dicátque coactus,
Cum proavis tandem ſis, precor, ipſa tuis.

ERGO

Sic ſtatuo: Mulier quævis ignobilis eſto,
Ipſa ſuo niſi ſit nobilitata Viro.

Respondens Mr Owen Aul. Trinit. } Opponent { Dr Goad Regius Professor. / Mr Roane Aul. Trinit. / Mr Lake Aul. Kath. } Moderator Mr Rant caio. Jun.

b.